IN FVNERE SCIPIONIS COBELLVTII S. R. E. CARDINALIS, TIT. S. SVSANNÆ

ORATIO

ANGELI GALLVCCII
E SOCIETATE IESV.


Habita Romæ in Templo Domus Professæ eiusdem Societatis.





ROMÆ, Ex Typographia Francisci Corbelletti. MDCXXVI.

SVPERIORVM PERMISSV.



ILLVSTRISSIMIS VITERBII CONSERVATORIBVS



VITERBIENSE COLLEGIVM SOCIETATIS IESV FEL.



XTINCTVM non ita pridem Vrbis vestræ splendorem, salutis nostræ præsidium, SCIPIONEM, S. Susannæ Cardinalem; semel à nobis Romæ, iterum Viterbij, nunquam tamen, & nusquam satis debitis parentalibus deploratum, vt immortaliter in toto terrarum orbe lugeremus, orationem hanc, in eius Romano funere habitam, regionum immensitati, typorum æternitati destinauimus. Vt vero vna, eademque opera testificaremur & nationibus vniuersis, & consequentium posteritati sæculorum, quantum beneficentiæ quoque vestræ debeamus; vestri Ciuis Optimi, Maximique laudibus vestrum nomen præscribere decreuimus. Quo fiet, vt nemo Principis

integerrimi virtutes hic adumbratas relegat, & pernoscat; quin simul perspectam habeat religiosam in nos humanitatem vestram. Vos enim vnà cum eo parentes agnoscimus, & salutamus: imò vos hoc maximè tempore tali nomine colimus, ac veneramur, quo benignissimo illo patre orbati, ac destituti pupilli sumus. Et quando Cardinalem COBELLVTIVM olim in terris, nunc, vti speramus, in cælo præsidem & vestrum, & nostrum reddimus vobis in hac virtutum ipsius commemoratione spirantem; reddite vos eundem nobis in vestri patrocinij benignitate viuentem, atque ex ipsa morte in beneuolentiæ vestræ immortalitate superstitem. Ad felicitatem publicam diu valete.



ORA-



ORATIO.



AVDANTIS equidem partes, an potius lacrymantis, Præsules Illustrissimi, cæterique Auditores ornatissimi, hodierna sim acturus luce; quæ nata de mortis vmbra, multum instar parentis habet in vultu; & extincto virtutum Sole, pro stellis faces accendit lethaliter luculentas, & splendidè luctuosas; quà copia laudum inopiam verborum procreante, ab oris silentio traductus ad eloquentiam oculorum; quà doloris ingenio quamuis impeditam, exemplo veteri, linguam enodante, reuocatus ad flebilem vsum vocis; atque vtrinque confusus ac perturbatus, inter horrorem funeris, inter mœroris tenebras perspicere satis, ac dijudicare non possum. Laudes, & eas quidem ad materiem vberes, ad merita præclaras, ad memoriam æternas, iure sibi vendicant suo, SCIPIONIS S.Susannæ Cardinalis, nuper ab humanis, vti spes est, ad diuina transcripti, res præclarissimè gestæ: lacrymas verò præcipit, & Christiani generis vniuersitas, quæ tantum sacræ purpuræ lumen extinctum dolet; & nostra præsertim religiosa familia, quæ non tam beneuolum Principem, quàm prouidum Parentem sibi luget ereptum. Vtram igitur hic ego præcerpam dicendi segetem? quem potius orationi meæ campum præscribam? Integerrimi Principis virtutes, quæ sua se luce spectabiles reddunt, vt perlustrem, earum inuitat copia, magnitudo, præstantia: benignissimi Patris obitum vt deplorem, illi maximè debitus gratæ beneuolentiæ sensus impellit. Si SCIPIONIS vitam respicio, exornationem requirit: si SCIPIONIS mortem intueor,

complorationem expectat. Lacrymas vocat præsens calamitas: laudes accersit anteacta felicitas. quòd talem habuerimus ordinis nostri defensorem, gratulandum est nobis: quòd talem amiserimus incolumitatis patronum, dolendum nobis est. Quantum bonorum ad nos DEVS immiserat! quantum nos ad DEVM remisimus! O nimis illustrem & oriendo nobis, & occidendo Christianæ Reipublicæ Solem. Et nostras ergo lacrymas, & SCIPIONIS laudes vna oratione complectar: siquidem quidquid illi viuenti peperit gloriam, nobis illo carentibus dolorem parit: eruntque propterea tum ipsius laudes lacrymosæ, tum nostræ lacrymæ laudatrices. Vtinam, Auditores, extinctam hanc viuæ probitatis effigiem tam accuratè verbis possem ipse describere, quàm affabrè Princeps optimus, dum viueret, partibus absolutam omnibus formam purpurati Senatoris expinxit in sese: nihil ambigerem, quin omnia prorsus in eo tanti muneris lineamenta, omnes Christianæ ductus integritatis, ac dignitatis tractus agnosceretis. Sed quando multò peritior ille fuit bene viuendi, quàm ego benè dicendi; superabitur opus à materia: tantarumque sub mole laudum laudator iure succumbet. Quoniam verò ad exprimendam in se spirantem Ecclesiastici Principis Ideam tres præcipuè colores adhibuit SCIPIO, Amorem sapientiæ, Neglectum pecuniæ, Studium pietatis; eosdem ego colores, dilutos tamen lacrymis vsurpabo, ad mortuam eiusdem adumbrandam imaginem, & vestræ humanitatis in bono lumine collocandam.

Augustissimum olim Persarum imperium, vnicè in terris habitum cœlo par, inter innumerabiles regiæ potestatis ministros, quosdam recensuisse fertur, qui Regis Aures, atque Oculi dicerentur. sapienter id quidem. Cùm enim admodum pauca, vt ait ille, vnus aliquis audire possit, aut cernere; cumq. plurima Principatus complecti debeat, ac propemodum infinita; multæ sint Principis aures, multi oculi, necesse est. Geminum hunc titulum & muneris & honoris purpuratis quoque Vaticanæ curiæ Patribus accommodari posse quis abnuat? quando caput illud humani generis à Diuinitate secundum, quod triplici diademate coronatum Christianorum vniuersitas veneratur,

ex

ex Magni Gregorij præscripto, sit oportet intus, atque in circuitu oculatum. Hos verò celsissimi capitis vigiles Oculos ad publicam tranquillitatem excubantes, sapientia præsertim illustres esse decet, ac literarum beneficio perspicaces. Literatos enim viros duplo, quàm alij videant, acutius introspicere, Poëtæ veteris dictum est, an oraculum? Et varietate doctrinarum Aures eruditæ quàm gloriosè sibi, salubriter alijs operam suam impendent! Iure igitur Oculi appellatione celebrabitur SCIPIO S. Susannæ Cardinalis; propterea quòd in omni ferè disciplinarum genere multum vidit, atque in ijs cognoscendis totus penè oculus fuit. quia verò pari erga literas, & literatos viros beneuolentia præditus, hos benignus audiuit, liberalis excepit, facili complexus est animo, meritò poterit Auris, quæ dicata olim fuit Misericordiæ, nomine decorari. Longum hic esset eas enumerare singillatim doctrinas, quibus ille vel à teneris annis expolitus, dignum se præstitit, qui grauissimis Christianæ rei negotijs imponeretur. Vix enim rectis insistere gressibus cœperat SCIPIO, cùm primos fecit passus ad Eloquentiæ spatia: in quibus ingenij, iudicijque sui altè reliquit impressa vestigia. Annorum quippe florem, vitæque primitias, *bonam sortitus animam* puer, non in publica iuuenilium voluptatum via mollium illecebrarum ludibrio deterendas, & conculcandas dedit; sed annos præueniente maturitate consilij, in sapientiæ templo, ad aram eloquentiæ dedicauit. Hinc ille satis vbere verborum, & rerum copia locupletatus, ad grauiora Philosophiæ, Iurisque prudentiæ studia se conuertit. Sed nusquam fortasse stabiliorem SCIPIO fixit gradum, quàm in eruditione multiplici ex antiquæ monumentis historiæ colligenda. Hanc videlicet adoptauerat ille sibi præ cæteris, & suæ vitæ magistram, & indicem alienæ. Nouerat enim oculatissimæ vir mentis, longum iter esse per philosophica præcepta morum; at per historiarum exempla, compendium: ibi rerum documenta gerendarum in illustri posita eo salubriùs, quo iucundiùs posse condisci. Neque fortasse nescius erat, sapienter Historiam appellatam à Tullio fuisse veritatis lucem; sine qua exempla omnia iacerent in tenebris, atque obliuionis nocte sempiterna: à Siculo Diodoro custodem vir-

tutis illustrium virorum; testem improbitatis malorum; in humanum genus omne beneficam: à Plutarcho speculum, in quo facilè quisque possit ad alienam integritatem componere atque ornare vitam suam: verissimam disciplinam, atque exercitationem ad res ciuiles à Polybio: conglobatam, & coaceruatam sapientiam, hominumq. multorum mentem in vnum collectam à Nazianzeno Gregorio: vaticinandi vim, qua conijci futura possunt ex praeteritis, à Nicephoro Callisto: totius prudentiae compendium à Cassiodoro: ab alijs demum alijs laudis commodique nominibus cohonestatam. Quibus ipse monitoribus ac magistris, consueuerat mentem suam non alia magis pascere, ac recreare doctrina, quàm frequenti cognitione rerum ante se gestarum. Atque inter omnes antiquitatis annales, illi prae cæteris in manibus, ob oculos, & coram præsentisimo animo frequentes erant, qui Christianæ rei memoriam omnem ab ipso fundatae religionis exordio, DEOque in terras lapso, cum pari eruditionis, atque prudentiæ laude complectuntur: quos nempe lumen illud purpurati Senatus, occasus expers, Cæsar Cardinalis BARONIVS diuturnitati temporum, æternitati nominis, vtilitati mortalium consecrauit. In ea quasi pictura vetustatis relegebat SCIPIO ætatis anteactæ res gloriosisimè gestas; & se quodammodo maior, atque antiquior, assurgebat in contemplationem veteris gloriæ, in admirationem laudum tantarum, in imitationem virtutis, in æmulationem integritatis. Ad eam normam exigebat ille, componebatque vitam suam vniuersam: vt meritò haberetur, ac diceretur ab omnibus vir ætatis quidem nostræ, sed probitatis antiquae. Hinc illa nascebatur viuendi ratio semper sui similis, eodem tenore moderationis constans, non afflictis depressa rebus, non laetis erecta successibus; sine luxu splendida, sine iactatione liberalis, sine fallacijs circumspecta, sine temeritate simplex; grauiter officiosa, humaniter seuera, opportunè iucunda, modestè beata; non exposita querelis, non obnoxia liuori, non profusionibus nimia, non auaritia sordida; semper hilaris, semper continens, semper inuicta: auctoritate potens, integritate praestans, existimatione felix, vtilitate plausibilis, æquitate venerabilis; vno

verbo,

verbo, digna Christiano Principe, purpurato Senatore, Ecclesiae Cardine terrarum orbis molem sustinente. Quòd si tanto propensae voluntatis ardore doctrinam atque eruditionem complexus erat SCIPIO; nihilo minore beneuolentiæ significatione prosequebatur doctos atque eruditos viros. Testis esto nunc mihi domus illius, non tam principis Aula, quàm Regia sapientiæ. Eam sibi domum hæc designasse præ cæteris videbatur, vbi frequenter cogeret sapientum Senatum; vbi bonis ac doctis omnibus bene de se sperandi sustolleret signum. Nullum in illis ædibus discrimen erat nationum aut gentium: quoscunque censebat eruditio cultores suos, eosdem suos existimabat SCIPIO populares: quosque longinquo terrarum tractu natura seiunxerat, vnius tecti familiaritate iungebat. Et quemadmodum Roma cunctarum gentium patria singulari præconio dicta fuit: ita Cardinalis S.Susannæ palatium, terrarum omnium ac literarum domus optimo iure poterat appellari. Quis verò beneuolentiam exprimat, qua probos, ac doctos homines complectebatur? Quis animi demissionem, qua eorundem facilè cedebat ingenio, sententiae subscribebat? quod in eruditis viris tam praeclarum solet esse, quàm rarum. Alia nimirum quaecunque naturae bona, vel dona fortunae liberaliter alijs conceduntur:

Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

Ad SCIPIONIS denique gratiam atque amicitiam sola patentem inueniebat aditum vel doctrina, vel sanctitas. O pretiosam animam, non auro, non gemmis, sed cunctis opibus potiore sapientia, & morum integritate venalem! Quid igitur mirum, si, qui tanto tenebatur amore sapientiæ, vt vnà cum hominum sapientissimo eam exquireret *à iuuentute* sua, *& amator factus formæ illius* praeponeret eam *regnis & sedibus*; *& omne aurum in comparatione illius* arenam exiguam duceret, *& tanquam lutum æstimaret argentum in conspectu illius*; quid, inquam, mirum, si diuitias, ambitiosam aliorum mortalium curam, suauem pœnam, ac lene tormentum & magnanimo corde contemneret, & liberali manu dispensaret? Vix in amplissimum ordinem purpuratorum Patrum, consentiente bonorum, ac literatorum suffragio, fuerat SCIPIO cooptatus;

cùm

cùm plerique Principum, de more, missis ad eum muneribus, & quasi missilibus, nouum illi, sed meritum, dignitatis gradum gratulari voluerunt. Gratulationem ille, vt vir humanus excepit: munera remisit, ita mihi loqui liceat, vt diuinus. Diuinum enim quiddam est, non capi muneribus; & rectè dicitur: *DEVS meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*. DEI quippe dare est, non accipere. quam laudem toto quoque tempore vitæ sequutus est SCIPIO, solitus beneficia donare, non vendere. Verum in ea nouellæ dignitatis lætitia, & quodammodo primitijs Purpuræ, Principis vnius auctoritate, &, qua tenebatur in illum, grati animi lege coactus est argentea quædam vasa pretij non leuis accipere. Quàm verò inuitus atque alienus inferre sibi vim in eo compelleretur, facile significauit familiaribus suis: ad quos conuersus cum aliquo sensu doloris, In posterum, inquit, gloriari non potero vocibus illis, *Aurum, & argentum non est mihi*. O voces ab Apostolorum Principe ad amantissimum eius consectatorem hæreditario, prope dixerim, iure deuolutas! Eas voces ante id tempus vsurpauerat SCIPIO, gloriam à paupertate deriuans, vnde alij sibi ducunt ignominiam. At enim aurum & argentum, SCIPIO, non habebas? qui tot annos in Vrbe Romana, in aulis Principum, in ipsa Vaticana curia, audiendis causis, dijudicandis controuersijs, ac præsertim Pontificijs diplomatis conscribendis, vnde aliquot aureorum millia quotannis prouenire dicuntur, diligentissimam operam elocaras? Quò igitur ista reciderat annuorum summa redditiuum? num opes illas in magnificis tectis exstruendis, in ijsdem supellectili splendida cohonestandis, in amplissimis ædificandis villis, in coëmendis agris, in re familiari amplificanda à tuæ domus administratoribus impendi voluisti? At diligens, atque accuratus Oeconomus tuus ingenuè professus est, ex tantis illis muneris præcipui redditibus nihil ad suas manus peruenisse. cumque tu, recens à purpura suscepta, tuarum ædium partem videres vestitam sericis, partem nudam; hanc Scipionis, illam Cardinalis futuram sedem pronunciasti. Num id totum pecuniæ, sanguine, atque affinitate coniunctis, muneris loco, tribuebas? At palam omnibus est, quàm

quàm parum abreptus fueris amore carnis,& ſanguinis : vt propterea, cùm poſtmodum tuæ ſororis filius multis tibi nominibus commendaretur ab alijs, & laudaretur, vereri te dixeris, ne tam multæ, tamque eximiæ illius laudes agerent te tranſuerſum, atque inuitum propellerent, vt præuaricareris in beneuolentia tuorum. Quorſum igitur illæ opes euaſerunt? Facile vobis erit ac promptum, Auditores, id aſſequi coniectura. Quas à conſanguineis abſtinebat SCIPIO, quas magnificis ſumptibus ſubtrahebat, quas ipſe ſibi, ſuisque commodis eripiebat optimè partas diuitias, eas pauperibus omni affinitate carioribus, omni ſplendore potioribus, omni commoditate, ac voluptate gratioribus diſpenſabat. Verum qui fieri poterat, vt id intimos lateret rei domeſticæ adminiſtratores? Tam ingens pecuniæ ſumma fugere potuit oculos aulicorum, in ſui Principis rebus ſatis ſuperque perſpicaces? O liberalitatem ingenioſam! quæ dum Principis aperiebat manum, oculos famulorum occludebat: & quàm prolixa erat in eroganda pecunia, tam parcam ſe præſtabat in colligenda gloria: & clam hominibus, palam DEO, meritis opulenta, non laudibus, amabat eſſe benefica, non videri. O geminatum demiſſi animi luce Chriſtianæ largitatis ſplendorem! qui quò minus apparebat in terris, eò magis elucebat in cœlo. Illud etiam eſt huius loci, quod cum Cardinali Cobellutio cuidam noſtræ Societatis accidit viro. Narrabat is optimo Principi Chriſtianorum hominum in Hungarica Turcarum ditione ſummam egeſtatem, calamitatem incredibilem, miſerabilem planè conditionem. quæ cùm audiret humaniſſimus vir, à lacrymis temperare non potuit. Neque verò ſteriles, aut inanes illæ lacrymæ fuerunt. ſed vt à vera, perfectaque miſericordia naſcebantur; in aureum conuerſæ ſunt imbrem, qui deſertos illos populos largiter irrigauit. Centum enim in poſterum aureos numos quotannis ad cœleſtem eorum animorum culturam largiebatur; cum ea tamen lege, vt tanti beneficij fons perennis occuleretur. Nimirum etiam Nili feraciſsimi fluminum, ac beneficentiſsimi caput olim ignotum fuiſſe fertur. Exterarum quoque nationum Antiſtitem (quas ille plus, quàm patrio, domeſticoque amore proſequebatur) inſum-

insumptis aliquando quingentis supra mille numis aureis, sacris vestibus, pretiosoque sacrorum instrumento affluenter ornatum remisit ad suos. Verum quòd in his postremis liberalitatis exemplis non solùm largè distributæ pecuniæ, sed ardentis etiam in Religionem studij specimen eluxit egregium; ad hanc vltimam laudationis meæ partem, SCIPIONIS verò laudem non vltimam, verba traducamus & mentem. Quàm pius in DEVM Scipio fuerit, ipsa commemoret optima virtutum indagatrix atque consultrix, arbitra honorum Roma. narret ipsa, quàm assiduus esset in cultu diuino, quanta religionis propagandæ cupiditate flagraret, quàm rectè sustineret hac etiam ex parte nomen atque personam Christianæ reipublicæ Senatoris. Erga DEI verò sanctissimam Genitricem, hominumque Parentem amantissimam, quem ille filij sensum, quod obsequium deuoti semper animi præseferebat! Satis hoc indicat vltimum illud, & faustissimum iter ad Lauretanam Virginis maximæ domum, paucis ante obitum diebus, piè susceptum, sanctè peractum, felicissimè terminatum. Ad illud corporatæ quondam Diuinitatis hospitium vbi SCIPIO peruenit; vbi parietes illos vidit angustissimos, quibus aliquandiu vixit inclusus, qui cœlestium orbium immensitate non capitur; supplicitet in genua prouolutus, animo veneratus & corpore pauperis domunculæ maiestatem; quos ille concepit intimè sensus integerrimæ pietatis! quas liquidissimæ voluptatis illecebras est expertus! quos in amores exarsit; quos æstuauit in ardores; quos erupit in gemitus! in quæ suspiria exuberantem propemodum è visceribus animam, nec benè mortali pectore conclusam lætitiæ copiam reciprocauit! Lacrymabatur Princeps religiosissimus: & cor quodammodo charitatis igne liquatum ab oculis exprimebat: sed illæ lacrymæ, gestientis animi risus, amoris erant illicium, non indicium doloris. Plorabat ipse sua gaudia: lætus erat in fletu: qui non amarus amanti videbatur, sed eò maximè suauis, quòd beata cordis incendia temperabat. Diutius ibi morari, atque etiam mori SCIPIO voluisset: vt sortiretur tumulum, vbi thalamum virginalem DEI Mater, vbi FILIVS prima elementa vitæ quondam habuerat. Et æquum

sanè

fanè fuiſſet, vt ex eo terreſtri cælo, ad cæleſtem veluti terram deueheretur. Ab æde Genitricis ad ſedem Filij facilis erat, ac breuis futura traiectio: per Virginis domum ad complexum eiuſdem Virginis ampliſſimus aditus patuiſſet. Sed alij Romæ SCIPIONEM expectabant comites, & deductores in cælum. Apoſtolorum Principes PETRVS, & PAVLVS; ille cæli Clauiger, hic Myſtagogus, remunerandam putarunt religionem, quam in ipſos continenter SCIPIO declarauit: dum ad eorum ſacra corpora, vel intempeſtiuo quouis anni tempore, faceret rem diuinam: dum eorundem imagines, ac ſigna varijs expreſſa lineamentis vndique conquireret; ac vel apud ſe domi venerabundus retineret, vel ad ornandum maximum Templum Viterbienſe tranſmitteret, & patriam ſuam ſuis delicijs, diuitijsq. cumularet: dum rebus, ac verbis, animo & corpore, priuatim ac publicè ſingularem in eos amorem, atque obſequij promptiſſimam voluntatem profiteretur. Parant ergo iuſtiſſimi Iudices, Eccleſiæ Principes amori beneuolentiæ vicem, officio gratiam, præmium pietati. Romam Laureto reuerſus Cardinalis Cobellutius, tanquam impetraſſet à Virgine non tam abeundi, quàm obeundi facultatem, grauem in morbum, & mortem proximam incidit. Quo tempore, humanæ vitæ difficillimo, nouum SCIPIO religionis cum Chriſtiana magnanimitate coniunctæ ſpecimen dedit. Cùm enim pernicioſiſſimum vlcus è brachio cum ſenſu vehementiſſimi doloris reſecandum eſſet; de tanta acerbitate præmonitus, Agite, inquit, ſecate, vrite, diſcerpite. grauiora multò perpeſſi ſunt CHRISTI Martyres. & illi quidem immeritò: meis verò criminibus atrociora tormenta debebantur. O præſtantis animi ſenſum æquè fortem, ac pium! Hauſerat hunc ille fortaſsis ex aſpectu, & veneratione frequenti cuiuſdam forcipis ſanctorum hominum cruciatibus conſecratæ: quam ipſe pluris theſauris omnibus æſtimabat; ac tanquam hæreditatis appendicem longè pretioſiſſimam Viterbienſi Collegio Societatis noſtræ reliquit. Beatorum igitur Martyrum exemplum ſibi SCIPIO proponebat: vt etiam in ſuo lectulo decumbens, eorum virtutem, quà poſſet, imitaretur. Iamque vicina mors imminebat: imò pleriſque meden-

tium,

tium, pro ratione ac tempore morbi, lenior præter solitum, ac segnior videbatur. Dies tandem aduenit, quam Apostolorum sanctissimis Coryphæis PETRO, PAVLOque dicatam anniuersaria summæ lætitiæ significatione celebrare Roma consueuit, eorum expiata laboribus, eorum sanguine purpurata. Mane igitur eius diei, cùm ad aures illi religiosus vir insusurraret, eam ipsi carissimam affulsisse lucem, quæ sanctis eum Apostolis sociaret; Hac vespera, respondit, hac vespera cum illis ero. Siue optantis hæc fuerit vox, siue diuinatio præsagientis, siue prædictio diuinitùs prænoscentis; assequutus est, quod optabat; euenit, quod diuinabat; exitu probatum est, quod prædicebat. Eadem illa vespera profectus est ad sempiternam diem. O vesperam tibi, SCIPIO, maximè luculentam. O felicissimam potius æternæ lucis auroram. Vespera nobis illa fuit, & Christianæ Reipublicæ, tam salutari, tam benefico lumine tunc orbatæ: tibi verò diluculum eius diei fuit, quæ non habet occasum. Tuque doctrinæ, doctorumq. Sol illustrissime, tu Sol dispensator opum largissime, tu pietatis studio Sol verè cælestis, ad exemplum Solis alterius, dum nobis occidisti, superis exortus es in æternitatis beatissima luce. Nullam tibi diem illuxisse crediderim ea clariorem, quam Principes Apostolorum sua morte, aut veriùs natali suo consecrarunt: quaque tu die terris mortuus, vt existimare par est, renatus es cælo. Fuit quidem dies alter natalis tuus parenti tuo lætissimus; siquidem, te nascente, creatus ille fuit Viterbiensis Vrbis Conseruator; simulq. lucem hausistis, honoris ille, tu vitæ: fuit idem tibi quoque solennis, quòd eo die purpuratos inter Patres cooptatus fuisti; vt verè dici potueris natus ad purpuram. Sed ille tibi multò felicior, quo non inter Purpuratos terræ, sed inter cæli Candidatos transcriptus es. Illius diei Lucifer, Hesperusq. fuere tibi PETRVS, ac PAVLVS: quorum alter huius vitæ noctem, alter æternam aperuit diem. Hæ tibi stellæ prosperam in cælum nauigationem donarunt: hæ tibi præluxerunt in tanto itinere faces: hi te duces in patriam felicissimè deduxerunt. Iuisti tandem, SCIPIO, quò tua te merita prouehebant, iuisti. Tenes regna, quæ debebantur integritati tuæ. Procul ab humanis mise-